ORATIO
IN FUNERE
LEOPOLDI PRIMI
Auguſtæ memoriæ
IMPERATORIS ELECTI
Habita in Sacello Pontificio
ET
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
DICATA
A FRANCISCO BLANCHINO VERONENSI
Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo de Urbe Canonico
Ejuſdem Sanctiſs. D. N. ab Honore Sacri Cubiculi.



ROMÆ, Per Franciſcum Gonzagam in area S. Marcelli ad viam Curſus, MDCCV.
EX PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONT. MAX.

CUraveras, BEATISSIME PATER, ſalutem LEOPOLDI Cæſaris pia oblatione ſacrorum. Ipſius gloriæ caveras eloquenti recenſione virtutum. Utrumque pro majeſtate Apoſtolici muneris, & ſacri Senatûs, ſive eliceres lacrymas, ſive cohiberes. Eadem ſacra iterari nunc jubes ſolemni pompâ: easdemque tentari laudes, ſed longè diſpari ab eloquentia. Supremum itaque officium præſtiteris memoriæ Auguſti, ſi funebrem laudationem, humili quidem ſtylo, Tuo tamen juſſu exaratam, Tuo etiam Nomine indulſeris dedicari. Cur verò minimè annuas, qui probè noveris, Pietatem Cæſarum, ex quo CHRISTO fuit initiata, in ejuſdem Vicarii paternum ſinum omnes funerum ſuorum reliquias inferre? Petri amplexatur Thronum ſuperſtes ipſis Imperatoribus. Chryſoſtomo enim interprete, Auguſtos parentum cineres *S. Jo. Chryſoſt. homil. 26. in Epiſtol. 2. ad Corinth.*

Digitized by Google

honore maximo ſe affecturam exiſtimat , ſi in veſtibulo collocet Piſcatoris. Honorius, Valentinianus, Otho, Maria Vaticanis Petri poſtibus laureas appendunt: & ſpolia mortalitatis ſuæ dedicant ad limina Apoſtolorum. Annues igitur, SANCTISSIME PONTIFEX: & Petrus annuet in Te reſponſurus; dum Leopoldi geſta lubens exceperis etiam ab imperito Oratore. Auguſta planè ſunt, ac religioſa quæ inferimus. Aureo collegerim, an fictili vaſculo, quis requirat? Cùm Tu Apoſtolicæ mentis ſacrario eadem condenda cenſueris; urna Leopoldi nec pretio indiget, nec laudatore. Pertinet verò ad Collegium, cui me licet immeritum adſcripſiſti, Cubiculariorum, Regiæ funerationis ornamenta Vaticanis arcubus incidenda curare. Quos enim Leo Magnus inſtituit Cuſtodes Petri Sepulchro, his etiam contulit ad proximos Regum tumulos quandam honoris initiationem. Viſus eſt admoviſſe nos piorum Cæſarum conditorio, ut jure viciniæ poſſemus funebres laudum coronas attexere, & eorum monumentis inferre. Junceis verò de calathis, an argenteis è lancibus miniſtremus, Pontificum & Cæſarum cæleſtes animi nihil morantur. Probabit CLEMENS obſequium, Leopoldus dedicationem. Uterque officium ex cauſsâ, neuter æſtimabit ex cenſu. Uterque diſcrimen admittet facundiam inter & voluntatem. Ita ſperat Apoſtolicis Pedibus advolutus

Aringhius in Roma Subterr. lib. 2. cap. 9.

Eccleſia in Vita S. Leonis Magni: Sepulchris Apoſtolorum Cuſtodes adhibuit, quos Cubicularios appellavit.

SANCTITATIS VESTRÆ

Servorum, ac Filiorum Humill., Obſequent., Obſtrictiſs.
Franciſcus Blanchinus.



LEOPOLDO Auguſto, more majorum, funebre officium perſolvitur, BEATISSIME PATER, in hoc ipſo Eccleſiæ Senatu, quem ante annos viginti toties frequentem coegerant laureatæ ab ipſo literæ, dum ejuſdem auſpiciis in utraque Pannonia contra Barbaros dimicaretur. Abſcedant igitur lacrymæ: & in religioſiſſimi Principis deſiderio plena Chriſtianæ ſpei, plena conſtantiæ Vobis ad DEUM vota, mihi ad Vos contingat oratio. Neque enim aliter affectos intereſſe nos decet huic potiùs triumpho, quàm funeri, quem ille mortalitate ſolutus de humanis perturbationibus ſecurus in CHRISTO jam ducit. Quin, ut antea Leopoldo ſuperſtite noſtri non libuit meminiſſe diſcriminis, ſed victoriarum, quibus illius fœdera imminentem nobis à Thracibus cladem averterant; ita nunc recedente tot meritis ornato Cæſare, non tam ereptum nobis Leopoldum, quàm relicta virtutum exempla decet commemorare. Ritè, arbitror, parentabimus, ſi ſuffragatorem pietatis, ſi amplificatorem Chriſtiani nominis potiùs meminerimus, quàm mortalem.

Equidem, ut Auſtriacæ domus pietatem, à bis ſeptem Imperatoribus aſſertam, in ejus [1] ortu ac educatione tranſiliam, tanquam communem Atavis laudem, quibus tam familiare propemodum fuit Cælitibus inſeri, quàm deligi Auguſtos; Leopoldi peculiaris inſtitutio hoc prætulit ſanctioris vitæ præſagium, [2] quod cæleſtis militiæ muneribus fermè à puero deputaretur. Ferdinandus enim Tertius cognominem ſibi Filium deſtinarat imperio: Septemviri etiam elegerant: optabant verò Eccleſiæ minorem natu Leopoldum. Ita ſiquidem natura factus ad indolem ſacerdotii, ita moribus inſtitutus ad religionis officia videbatur; ut niſi deprecatio obſtitiſſet ætatis, jam tum deſignaſſent in Principe candidatum Epiſcopatus. Verùm Auguſtæ domus præclaram ſortem uterque frater virtute prævert erat. [3] Ille maturiùs eſt Cælo redditus, quàm ut per gradus Imperii ſenſim admoveretur. Iſte ſingularis Eccleſiæ connubio negandus erat, ut omnium defenſioni proſpiceret. Qua enim ætate artium tyrocinia vix ponimus, [4] univerſorum ſuffragiis electus eſt Imperator. Quæ tanta eligentium fiducia in adoleſcentia Leopoldi? Ita nempe ætas lubrica, [5] cui ſolent ceteri ignorantiæ veniam obtendere, nihil habuit excuſandum in Principe. [6] *Quis enim*, ut de Valentiniano proſequebatur Ambroſius, *quis tam aliorum arbiter, quàm ille ſuæ cenſor ætatis*?

Quale autem tulit Rex adoleſcens, qui Cæſar eligebatur, ab Apoſtolica Sede, imò & à Cælo ipſo ſuffragium! [7] Teſtes Pontificum literæ, majori ſtudio apud Septemviros neminem commendantes. Teſtis Eccleſiæ moribus cognata Pax, quæ primum Auguſti proceſſum inauguravit. [8] Compoſuerunt enim ſe illicò ad placidam Regnantis indolem proximæ Imperio Provinciæ: ratæ minimè ferendum pudorem, ſi clementiam Principis imitari ſegniùs vellent, quàm cogerentur. Relegabantur itaque [9] in Thracios fines horrida bella: ut ſentiretur tantùm in hoſtico neceſſitas Imperatoris. Quanto autem ſtudio invicem junctæ nationes gloria-

1 *Anno* 1640 *die* 8. *Junii*.

2 *Abb. Phil. Bonin. in Panegyr. Leopoldi Aug. Viennæ impreſſo* 1671. *pag.* 27. *&* *D. M.G.P. in vita Leopoldi Cæſaris eidem dicata* 1696. *tomo* 1. *pag.* 8. 16. 18.

3 1654.

4 1658.

5 *Ex Divo Ambroſio to.* 5. *edit. Pariſ.* 1586. *col.* 699. *D. de obitu Valentiniani*.

6 *Ibi col.* 700. *D.*

7 1657. *Vide Comitem Gualdum in hiſt. Leopoldi Auguſti tom.* 1. *lib.* 2.

8 *Pax pleriſq; Europæ regionibus reddita annis* 1659. *&* 1660. *quare Boninus in Panegyr. Leopoldi Cæſaris pag.* 72. *nummum propoſuit excudendum cum epigraphe* Pace parta Sarmatis, Danis, Gallis, Hiſpanis, Germanis &c.

9 1661.

Digitized by Google

gloriarentur ſub tantis auſpiciis fauſta mereri ſtipendia, ſatis declarat memorabilis illa ad Arrabonem parta victoria:[1] quæ non Germanos modò, Hungaros, & Bojohemos, ſed Gallos, ſed Italos, ſed Polonos acivit in communionem triumphi.

Felicia tempora, quibus[2] ſanctarum affinitatum nexus talem pace belloque coronam intexuit, cujus eſſet gemma Leopoldus! Ejus nempe conſiliis, comitate, beneficentia comparabantur Imperio copiæ, quas nulla vis, quas auctoritas nullâ conſcriberet. Quis enim ſocios alieni diſcriminis Reges, quis fœderatum Numinis auxilium ſibi tam præſens polliceretur, quàm ille jam tum[3] ad Hungaricas expeditiones paravit?

Temperate paullisper ſuaviſſimæ recordationi publicæ libertatis, per ipſum contra Turcas aſſertæ: donec teneamus imperatorias artes, quibus Cæli auxilia promeruit. Noſtis certè quibus olim Conſtantinus, ac Theodoſius, aut ſi conſcendere placet ad ſuperiores ætates, quibus Ezechias & Joſias fidelem populum tutarentur.[4] *Conſtantinus fidem tranſmiſit ad poſteros Reges*, inquit Ambroſius. *Ex illo fides, ut perſecutio ceſſaret, devotio ſuccederet*. Leopoldus fidem tranſmiſit ad proximos Principes.[5] Apoſtolicis enim miſſionibus iter aperuit, amplificavit, inſtruxit, auctoritate, commendatione, munificentia. Ex illo fides, ut alicubi perſecutio ceſſaret, devotio ut ubique ſuccederet. Conſtantinus, eodem Ambroſio teſte,[6] *Deo proximus loquebatur*. Leopoldus de domeſtico ſacello ad ſacra cœnobia profectus, hinc ad aras revertebatur. Hæc piiſſimi Auguſti caſtrametatio: Dei tentoria ubique præfigere: & in Baſilicis Martyrum verſari lubentiùs, quàm in Cæſarum Regia. Uterque Dei verbo devotiſſimè intentus,[7] *virum magis arguentem, quàm adulantem probavit*. Theodoſius enim corripientibus Sacerdotibus humiliter eſt obſequutus: hic diſertiſſimos divinæ legis interpretes undique conquiſivit. Ezechiam diceres, aut Joſiam: quorum imperatorias artes fuiſſe conſtat,[8] *purgare populum in manu Propheta, & ſic dejicere caſtra*

Aſſy-

1 1664. *Vide Com. Gualdum in hiſt. Leopoldi Aug. lib 5. pag. 462. & Jo. Reſchium in Chronic Saracen. pag. 300 & D. M. G. P. in vita Leopoldi; tomo & libro 1. cap 9. in prælio S Gothardi.*

2 1666. *Nuptiæ Leopoldi Aug. cum Marg. Tereſ. Auſtr., & 1670 nuptiæ Eleonoræ ſororis Auguſti cum Michaele Poloniæ Rege; eoque defuncto, nuptiæ cum Carolo Duce Lotharing. anno* 1678.

3 1684.

4 *S. Ambroſ. de obitu Theodoſ. col.* 784 *lit. D. & E.*

5 *Huc pertinet fundatio, aut dotatio Epiſcopatuum Reginokradicenſis &c. in Bohemia.*

6 *S. Ambroſ. ubi ſup. col.* 756. *D.*

7 *Ibi col.* 781. *M.*

8 *Eccleſiaſt.* xlviii. 23. *de Ezechia.*

Digitized by Google

1 *Ibi* xlviiii. 4. *de Joſia.*

Aſſyriorum; atque [1] *in diebus peccatorum corroborare pietatem*; & ab inſtauratione divinæ legis Civitatum ac Provinciarum reſtitutiones arceſſere. Ita planè vidimus, imperante Leopoldo, eodem impetu victoriarum expugnatis Pannoniæ urbibus Cæſareos milites inſilire, [2] quo via ſternebatur Levitis ad inferendam urbibus Arcam Domini. Quin etiam priùs contigit ornari magnificenter Eccleſias, quàm labefactata arcium mœnia, vallique ruinas reparari. Neque enim poterat cenſeri non additum defẽſioni quidquid accedebat altaribus: ſub eo præſertim Cæſare, qui antea educatus ad infulas, quàm ad lauream; nihil non obtulit Religioni, quando ſe devovit Imperio.

2 1686. *Vid. Ephem. belli Hungar in expugnat. Budæ.*

His igitur artibus imperatoriis inſtructus, quibus probaret rempublicam Deo militare ſub Principe, expugnandarum Regionum gloriam cum Ducibus à ſe delectis, tanquam appendicem regiminis, dividebat. Quod autem erat maximè regium, pietatem tueri; hoc ſuæ adminiſtrationis officio potiſſimum procuravit. Fuit autem oppidò neceſſarium, in hæreticorum præſertim vicinia, religioſum Principem profiteri: ac veluti cum [3] Moyſe in edito orantem loco ſeſe pugnaturis oſtendere, dum ſtrenui Duces Joſue, & Calebus, internecione delerent Amalecitas.

3 *Exodi* xvii.

Conſpectus hic Apoſtolicæ Sedis, quam recens ille Moyſes tunc inſidebat, ſanctiſſimus nempe INNOCENTIUS; ſacri Senatus præſentia, qui legum divinarum cuſtodi tam proximus adhærebat; Leopoldi Auguſti memoria, Principis utrique junctiſſimi, quid expreſſius ingerant animo, quàm illum Triumviratum Pietatis, Moſis, inquam, Aaronis, & Huri, complexis fideliter manibus, & unà elevatis ad Dominum ſalutem reipublicæ per crebra miracula procurantium? Fulciebat grandævum Moyſen Ordo hic ampliſſimus, miniſterii ſorte, atque fraternæ appellationis vocabulo verè deſignatus Aaron. Fulciebat unà Leopoldus, pientiſſimus ille Hur, in obſequium communis Fidei deductoris functus officio. Attollebatis ambo cum Maximo

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdote puras ad Deum manus. Hinc Pontifici dexteram commodabat Sacri Collegii fraterna Pietas, vi plurima ſubſidiorum extenſas ad largiendum manus roboratura. Inde à Cæſare par liberalitas, & officiorum plena reſponſa fructus communium precum, fœnus communium erogationum nunciabant ſæpe victorias. Quàm libenter innitebatur Beatiſſimus Innocentius utriuſque dexteræ miniſterio! Quàm ſuaviter deponebat ætatis pondere, & curarum mole gravata brachia in utriuſque ſollicitudine! Sed jam ille Cælo inferendus, à monte Raphidim translatus ad Sinai, per inacceſſam nobis caliginem Deo proximus [1] aſcen- 1 1689.
debat. Ne diutiùs uteremur in terris tam grato ac ſalutari ſpectaculo, peccata noſtra interceſſerunt.

Vidimus tamen, tergeminæ virtutis merito rem ſtare Romanam: ejuſdem precibus, conſilio, viribus, labore, auſpiciis ſervatum Occidentis Imperium [2], Vien- 2 1683.
nam obſidione ſolutam, fugatos Auſtria Barbaros, [3] Pan- 3 1688.
noniam ſervitio exemptam: & quod gratiſſimum ſemper eſt recordari, vidimus [4] ictum Chriſtianum fœdus [5] 4 1684. 5 1688.
expulſam terra marique impietatem, purgatas Provincias, ſacra reſtituta. Uſurpare jam libet divinum illud de Iſraelitarum præliis oraculum, & Leopoldi tumulo incidere: [6] *Scribe hoc ob monimentum in libro. Domi-* 6 Exodi xvii. 14. 15. 16.
nus exaltatio mea: quia manus ſolii Domini, & bellum Domini. Manus profectò ſolii Domini, quas in hac Sede ſupra ſolidam petram ſitus maximus ille Moyſes extenderat. Manus ſolii Domini, quas concordi pietatis adniſu Sacerdotium & Regnum obtulerant. Bellum verò Domini, cui religionis tuendæ ſtudium, perduellionis opprimendæ neceſſitas cauſſam dedit. Bellum Domini, quod tuba Sacerdotalis accendit, Catholicorum fœdus inſtruxit, precum armorumque communio, ac piorum Principum ſocietas, virtus, concordia, cæleſtis denique favor confecit, orantibus vobis in monte, ſudantibus in campo Joſue & Calebo.

Sinite me iterum ſacris nominibus religioſas honeſtare victorias. Neque enim defuit imagini belli

ſacri

Digitized by Google

ſacri, ad Iſraelis exemplar ſub Innocentio & Leopoldo geſti, par illud Principum immortale, geminis Ducibus conferendum, Joſue & Calebo, JOANNIS inquam Tertii Poloniæ Regis, & Lotharingi Ducis præſentia. Cedit verò utriuſque virtus in laudem Leopoldi; cùm bono cauſſæ publicæ [1] illum Cæſaris amicitia, hunc etiam [2] affinitas, utrumque gratus in Leopoldum animus evocaverit. Meminerat enim Joannes Rex inclytus, quàm opportuno præſidio [3] nutantes Poloniæ res confirmaſſet amicus Cæſar ſub duplici deceſſore.

1 1683. Vita Leopoldi Aug. edita 1696 à D.M.G.P. tomo 3. cap. 2.

2 Vide ſup. pag. 3. num. 2.

3 Nempe ſub Caſimiro Rege ann. 1657. 1658. & ſub Michaele 1668. Vide Leop. vitam lib. 1. cap. 2. & 13.

Verùm dimiſſa tot præliorum memoria, præſtat aliquando in placidæ pacis recordatione, qua uterque illorum cum Innocentio in Chriſto perfruitur, componere cineres Leopoldi. Utinam verò liceret eoſdem habere pientiſſimi hujus officii conſortes, & adminiſtros. Haberemus profectò etiam interpretes votorum Cæſaris, in ſupremo præſertim anhelitu ac ſpiritu vitę, quos toties experti ſumus nuncios victoriarum.

Contigit Valentiniano feliciter, ut poſtremi interpretem votì Ambroſium Epiſcopum nanciſceretur, cùm ab eo tingendus occumberet. [4] Noverat ſanctiſſimus Præſul abſentis deſideria, noverat lacrymas: quibus tanquam à patre junior Auguſtus ſalutarem gratiam expoſceret. Nemo, ut arbitror, Innocentio, & Joanne aptior interpres, aut ſequeſter in Chriſto votorum Cæſaris, dum ad eos è vita evolaret. Nemo enim teſtis illuſtrior ejuſdem pietatis, dum unà viverent.

4 S. Ambroſ. de obitu Valentiniani col. 701 lit. H.

Hujus attamen teſtimonii vicem res ipſæ retinent, ab iis communiter geſtæ. Quæ ſi etiam obliterarentur; non lateret noſtros obtutus communi fœdere aucta reſpublica; perſtringerent oculos omnium Auguſtæ domus præclariſſima Pignora, tanti Parentis meritum novis ornatura ſuffragiis.

Reddantur itaque religioſiſſimo Principi cum ſacris parentalibus laudum præconia. Impleat Apoſtolicæ Sedis conſtantia in chariſſimo ſibi Filio amplexando omnes numeros dilectionis. Leopoldum, candidatum Imperii, quo non eſt proſequuta ſuffragio?

Eun-

Digitized by Google

Eundem Hungaria expulſum, atque à tercentis Barbarorum millibus Vienna fugatum ita juvari roborarique curavit; ut ex impetito fieret aggreſſor, ac triumphator ex profugo. Victori minimè deſuit ad extremum Daciæ limitem, pleriſque antiquorum Principum vel inacceſſum, vel formidatum. Deeſſe minimè debet à terris abſcedenti, poſt ultimas vitæ metas: ubi Chriſtiana charitas ampliora laxatur in ſpatia. Exerceat igitur cum Leopoldo religioſæ jura neceſſitudinis. Impleat omnia Apoſtolicæ charitatis officia. Materno in ſinu depoſitos cineres ad ſpem immortalitatis aſſervet. Offerat Deo placationis hoſtiam pro Auguſto aſſertore Fidei Catholicæ, ac regiæ virtutis. Has verò expectet à grato Leopoldi animo vices officiorum; ut cum [1] Beato gentis ſuæ auctore ejuſdem pietatis heres ac nominis Dei ſolio ſuppliciter advolutus, pacem nobiſcum optatam, nobiſcum impetret ſuperfuturis.

1 S. Leopoldus V. Auſtriæ Marchio cognomento Pius *inter agnatos maternos Auguſtæ Habsburgenſis familiæ recenſendus per nuptias Eliſabethæ, ab illo prognatæ, cum Alberto I. Imperatore: unde poſteri Cæſares, & Leopoldus nuper defunctus. Vide Henninges in Theatro Genealog. tom. 4. par. 1. fol. 258. 260. 270.*



VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google